

R A R I O R E S .

99

qui eo funiculo opus ab se faciendum, partesque singulas metiri velle Prometheus interpretatur. Apud eundem Baronem Stofchium gemma alia est, cujus ectypon vidi, ubi Prometheus funiculo pariter protenso opus jam absolutum metitur.

F I G. I I.
H E R C U L E S.

In Onyche.

Gemma hæc scarabei formam habet. Quamobrem ex una parte convexa est. In altera omnino plana unus ex Herculis laboribus expressus est; cum videlicet in Arcadiæ Sylva Nemea, pharetra, clavaque depositis Leonem inusitatae magnitudinis suffocavit. Effigiem persimilem in gemmis habent Abrahamus Gorleus, & Eques Paulus Alexander Maffeus; immo hac ipsa imagine signatus est Pobliciæ Familiæ denarius apud Fulvium Ursinum, & Joannem Vailantium, quæ quidem omnia videre potes apud Montfauconium Tom. 1. pag. 126.

F I G. I I I.
R E G I N A B E L L A T R I X.

In Smaragdo.

Mulierem aperto capite, tenuissimo vestimenti genere indutam, in pereleganti sella sedentem
N 2 vides.